EPICEDIVM

IN OBITVM ILLVSTRISSIMI HEROIS HENRICI COMITIS DERBEIENSIS. &c.

Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit Libitinam.

Horat. lib. 3. Carm. Od. Vlt.

OXONIÆ,
Excudebat IOSEPHVS BARNESIVS. 1593.

B.N.C.
F.MADAN
OXFORD

ILLVSTRISSIMO DOMINO D. FERDINANDO *SANLEIO DERBIÆ COMI*ti Vicecomiti Kinton, &c.

MOrtem fœlicium (Comes fœliciter inaugurate) Æsopus acerbissimam; nec male; Plutarchus dixit beatissimam; & melius, ille quod mortem qui optant, verè miseri, qui vitâ habent quòd gaudeant, ferè beati iudicantur: Hic quòd mors tuto fælicitatem loco ponit, fortunæ nullum relinquit male deinceps faciendi locũ. Fœlix vita (siquis esse potest in hac vita fœlix:) fœlix morte (siqua mors vnquam cuiquam fœlix:) certè post vitam & mortem fœlix, (tum enim qui piè vixit, piè est mortuus verè dicendus fœlix) piæ & fœlicis memoriæ Pater, an tuus dicum, an patriæ fuit. Fuisse, at esse in vivis desijsse, tibi fortè peracerbum, nobis luctuosum, patriæ dolendum fuit: at certè nec seni immaturum, nec cœlos affectanti miserum, quin illi tanto, tali perbeatum. Nam vt & vixit, & est mortuus, qualis Lycurgus Pythiæ,

Ζηνὶ φίλος καὶ πᾶσιν Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν

Sic de vita & morte cum patre, Avo, Atavo (Deus bone, quantis, qualibus?) fert epitaphium, quale Lacedæmonij ad Leuctra,

Οἱ δὲ θάνον, οὐ ζῆν θέμενοι καλόν, οὐδὲ τὸ θνήσκειν,
Ἀλλὰ τὸ ταῦτα καλῶς ἀμφοτερ' ἐκτελέσαι.

Quod si Tellum Solon, propter honestam mortem, virtutem, liberorum probitatem, nemo non illum sapiens beatissimum pronuntiet. Honorem verò tuum, vt vaticinatus est poëta.

Πολλοῖσι θνητοῖς ἄξιον τίκτει πατήρ, *Qui quasi alter Philopæmen,* οὔτε κατὰ χεῖρα τῶν νέων τινός, οὔτε συνέσει τῶν πρεσβυτέρων ἀπολειπόμενος, *etsi Patris & optimi, & amantissimi, suo magis quàm suorum tempore defuncti migrationem è vita memorabilem, animo non minus fortis tuleris, quàm Anaxagoras, aut Telamon, Paulus Æmilius, aut M. Crassus, Patres amãtitissimi, optimorum filiorum; adeoq; novus Xenophon, non auditâ sed visâ, non Filij sed Patris morte, nec luctu detentus, nec fraude avocatus fueris, quin & Principi, & Patriæ, & in vtramq; fidei primo quoq; tempore sacrificâris; non minus tamen abes a Thracum more male morato, illius obitu vt gaudias, quàm ille, ortu tuo vt doleret; quin qui ægrotanti vsq; assedisti, deficientem fovisti, vultu, comptexu satiatus, mandata morientis excepisti, vocesq; imbibisti vltimas, non modò illa mortuorum sivè solatia, sive Iusta, non maiori cum sumptu, quàm luctu (& sumptu quidem maximo) procuras: sed & virtutes contemplaris, & dicta revolvis, & facta refers, & famam amplecteris & nomen immortalitati consecras. Hic honor debitus; hæc vera pietas. Ita cui Periclis*

clis in vultu gravitas, inceſſu lenitas, veſtitu mundities, oratione nulla perturbatio, cùm per viventem nemo veſtem induiſſet pullam; (quod illi pulcherrimum) propter defunctum Princeps, Aula, Academia, plebs tota, tota patria pullata ingemiſcit; quod eſt in primis glorioſum. Id illius deſiderium, id Honoris tui ſtudium, (ſtudiumne dicemus, an officioſam pietatem?) cùm & ex luctu publico (ideoq; leviore) & multò magis ex tuo (ſanè multo maiori) ſentiremus duo, multis nominibus Honori tuo devinctiſſimi; licet alter his ſtudijs iamdiu valedixerit, alter ad alia iam demùm ſe converterit,

Ἦτοι ὀιναίμενοι, ἢ κ̓ θεὸς ὧς ἐπέλδε,

non aſſem conferre, vt populus Publicola (nec enim opus) non aromata aggerere, vt matronæ Felicis Sullæ (nec enim opes) non humeros ſupponere, vt & hoſtes & hoſpites Pauli Æmilij (nec enim locus) non encomia texere, vt Iſocrates Evagoræ (nec enim facultas) ſed qualecunq; ὁπηνίδιον in Patris tui funere, vt tui luctus aliquatenùs participes (id enim noſtrum) voluimus exarare. Plures accerſere, at non rogati, ſed affecti ſcribimus; plura adiungere potuimus, at & hæc nimia niſi meliora, & luctus levior ferè loquacior. Tu tibi (quia nobilis) turpe putas vinci beneficijs; nos nobis (etſi humiles) putamus turpius vinci officijs: quin omninò vinci turpe, in amore turpiſſimum. Vos illud Heſiodi Heroïcum,

---Ἀνθρώπων φύλακες κ̓ δαίμονες ἀγροί,
Πλουτοδόται, κ̓ τοῦτο γέρας βασίλειον ἔχοντες:

Nos illud Platonis puerile, σὺ δ̓ ὀρθῶς δοθέντων ἄφεσις ἐκ ἐϛὶ. Nec verò tam poetæ in hac cauſa ſumus καὶ Ἀλέξανδρον, quàm δὶ Ἀλέξανδρον, nec tam Phœnicem aut Cyprum inde expectamus, quàm molâ ſalſâ litamus, thura cum non ſuppetant. Da verò veniam (ô type Alexandri Ferdinande) vt cùm te Agamemnone σωφρονέϛερον, Achille μεγαλοψυχότερον. Diomede εὐσεβέϛερον, cum in te Cyri φρόνημα, Ageſilai σωφροσύνην, Themiſtoclis prudentiam, Philippi ἐμπειρίαν, Periclis δεινότηϛα, & πολιτείαν agnoſcamus, amemus, admiremur, te haſtam tamen cum Lycippo potiùs, quàm fulmen manu tenentem cum Apelle depingamus; & vt Auguſtus Nepoti exeunti, ſic nos initianti tuæ Amplitudini, Scipionis fortitudinem, Pompeij gratiam, Auguſti fortunam comprecemur. Valeat Honor tuus.

Dignitati tuæ deditiſsimi.

M. G.

H. P.

IN
OBITVM
ILLVSTRISSI-
MI HEROIS HEN-
RICI COMITIS DERBEI-
ENSIS, VICECOMITIS KIN-
TON, DOMINI STANLEII, ET LE
STRANGE DE KNOCKING, DOMI-
NI PRAESIDISQVE INSVLAE MO-
NAE, CAMERARII COMI-
TATVS PALATINI CES-
TRIAE, ET CIVI-
TATIS CES-
TRIAE,
LE-
GATI
COMITATV-
VM LANCASTRIAE,
ET CESTRIAE, AV-
REAE PERISCELIDIS EQVI-
TIS CLARISSIMI, ET REGIAE
MAIESTATI A SACRIS CONSILIIS,
IN CHRISTO FAELICITER VI-
TA FVNCTI, SEPTEM-
BRIS VICESIMO
QVINTO, AN-
NO VERBI
INCAR-
NATI.

1593.

ΕΠΙΚΗΔΙΟΝ.

Ἐξαστχὸν Henrici & Ferdinandi Stanleiorum
ἀναγραμματικόν.

Immotâ STANLEI Efidè celeberrime conſtas
HIC STANS, VEL RENVIS ſtare vbi nulla fides.
Mens ſyncera, FIDES DVRANS SVNT LINEA recta,
Quam Patris exemplo Filius vſq; refers.
Illa FIDES DVRANS pietate fideq; VALENTIS
Teſſera Reginæ grata, placenſque Deo.

Conquerar, an læter? vita hoc, mors imperat illud.
Vitam perpulchram mors, ſed mors pulchra recepit:
Mortem perpulchram pulcherrima vita ſecuta,
Henrici Stanlei Comitem quem Derbia dixit
Parva ſubit tumulum, melior pars ſydera ſcandit.
Vt doleas potuiſſe mori, laudabile vixit,
Vt vitam petijſſe novam læteris, obiuit.
Cum vita mortem, vitam cum morte vicìſsim
Mutauit, vita vt morti, mors ſit via vitæ.
Viuere ne dubites, nam non dubitaverat ipſe
Verè victurum & melius cum mortuus, immò
Vidit & agnouit vitæ argumenta perennis
Angelicum vidit teſtem, agnouitq; videndo
Se Domiui agnouit: Dominus Deus accipit illum
Certa fides, conſtans virtus, mens conſcia recti
Accepti teſtes, & pignora certa Salutis.
Ergo querar læthum illius, qui lætus obiuit?
Viuere non læter qui lætum obeundo, reuixit?
Ille fruatur amore ſuo, cælo additus hæres
Tuq; fruare Heros hæres illius honore.

Magnifica populum ſi facit amantem manus,
Magnanima proceres beneuolos ſi mens facit,
Fidum benignam Principem ſi cor facit,
Patriam obligatam ſi facit prudens caput,
Anima propitium ſi pia obſignet Deum,
Populo, proceribus, Principi, patriæ, Deo,
In amore prima meruit, & tenuit loca,
In honore ſummus vixit Henricus Comes,
Derbius, avito ſtemmate illuſtris Comes.
Quàm bellicoſâ, tam beneficenti manu;
Quàm liberali mente, tam verè bonâ;
Quàm corde fido, tam inde cordatâ fide:
Capite ſagaci, quàm ſagax hominum caput:
Animâ, pia anima quàm poteſt, ſummè piâ.
Si facta reputes, iuſtum Ariſtidem voces.
Si dicta, Periclis fulgur & tonitru putes.
Si cogitata, Atlanta cœliferum ſcias.
Si cuncta, in hoc virtutis hiſtoriam legas.
Licet ergò corpus ceſſerit morti, ac ſolo,
Fama tamen illam, hoc anima ſuperauit pia,
Famæ theatrum terra, cœlum animæ thronus.

In memoria æterna erit iuſtus.

EPITAPHIVM.

Stanleios cineres habet *Ormskirk* ordine longo;
Quâ jacet Henricus *Stanlei*, ter nobilis Heros:
Cui pater ortum *Edovardus*, avusq; *Georgius* affert,
Et *Thomas* Atavus: cui nupsit Regia *Neptis*:
Cui *FERDINANDVS* fœlici sydere Natus:
Derbius *antiquâ nobilitate Comes*;
Cui multis ab avis Insulâ Mona *subest*
Reginæ *à Gladio*, Consiliisq; *sacris*.
Cestrenses *duxit* Principis *ille vice*,
Et Lācastrenses, *siquis ad arma vocet*:
Torque Periscelidis nobilitatus Eques,
Quam binis Gallis Regibus ille tulit,
Henrico, Carolo, *magnificeq; tulit*.
Legatus (*varium sic idioma tenet*)
Fœdera Parmensi cum Duce nulla tulit.
Hunc sensit populus patronum, patria patrem,
Nobilitas columen, Custodem augusta Corona.
Cum Sol *Septembri* quintus vicesimus instat
Et soli desunt a Partu VIRGINIS anni
Septem a sexcentis & mille, solum æthere mutat.

En vitæ exemplum viuentibus immortale:
En mortis certum mortalibus argumentum:
Vita reuiuiſcit: vitam mors interrumpit.
Heros HENRICVS, magnum cœli incrementum,
Heros STANLEIVS, ſummum terræ ornamentum,
Heros heroum ſydus, decus, & maieſtas,
Delitiæ Procerum, populi flos delibatus,
Corpus languens exuit, almam animam exhalauit,
Corpus terrenum diuinæ animæ indumentum.
In terram corpus redit, hinc anima emigrauit:
Terra tenet corpus, terras anima exantlauit,
Circumſtipari terris anima indignata,
Circumſepiri cœlis anima aſpirauit.
O fœlix corpus, fœlix anima, ô ter fœlix.
Diſcite viuentes vitam ſic informare:
Diſcite mortales mortem ſic exornare:
Dicite lectores, MORiamur ſic viuentes.

Beati qui moriuntur in Domino.

M. G. M. D.

Fœlices animæ quibus ipſo in funere lucrum,
Et quas fortunæ mors non ingrata furenti
Præripit, vt mutent ſpectacula triſtia Cœlo.
DERBIA viſa tuis dudum miſeranda Britannis,
Quod tibi diſerta errârit per compita rarus
Ciuis, & extinctum ieiuna armenta magiſtrum
Fruſtra inclamârint repetito rauca boatu

Demum

Demum facta tuis fœlicior vna Britannis,
Quæ ſola abrepti præuertens fata Patroni
Sola nihil grauius pateris fauſtiſsima lætho:
Solaq; cum Phœbi ſimilem nacta arboreſortem,
Regia quam pauit Romanis ſylua triumphis
Areſcendo tui feruentem in Cæſaris vrnam,
Excutis exoſam maturo tempore vitam.
O nobis tecum æternos ſi abrumpere luctus
Morte cita liceat, dulciq; occumbere fato.
Donârint illam mitiſsima numina mortem.
Non tu læthali iam condita lumina nube
Terris rapta vides, quæ conſtringente rigentes
Paupertate animas, Phœbi magis ignibus, alma
Munificis olim radijs recreare ſolebant:
Non tu ſydereo vultus ſplendore decoros
Aſpicis obducto ſtupidos pallore, vel auras
Iamprimum ſurdas miſerorum ad vota clientum,
Vel dudum Thuſci ſedem, Galliq; leporis
Nunc non cedenti circumſeptam agmine linguam,
Ne mille vnius vocis detergeat aura
Anglorum lachrymas, vel molli murice cingi
Dignius, inducto cruſtatum marmore corpus:
Pulchraue lachrymulis fœdantes ora Brigantes,
Et totas longo plorantes ordine gentes
CESTRENSES fortes, LANCASTRENSESq; decentes,
Arenteſq; ſenes, vetulaſq; humore carentes,
Stillantes miras oculis rorantibus vndas:
Vel claro aſſuetam rebus florentibus oſtro
Iam pullam Herois fatis poſcentibus AVLAM:

Laurus, quam quiſq; imperator creatus in Sylua Veientana ſeuerat, eodem die obeunte exaruit. Plinius lib. 50.

Vel nec Virginei mollitum pectoris igne
Infractum REGINAE animum, quin obuia ſummo,
Illa licet mitis, currat ſecura dolori:
STANLEII SEMPER FIDI ſoluente fauilla
Dilapſum in ſalſos latices, gemituq́; liquentem:
Vel quamuis magno maiorem HEROA Parente,
Nec fera quadrupedum conſuetis ora lupatis
Flectentem in gyros, nec quas non orbus amârat
Phœbæus vates vocitantem in carmina Muſas,
Præter Melpomenen, tragicum quæ ſæua dolenti
Suggerat, & mæſtas vlulatu terreat aures:
Sed furuo obductum lugubria tempora velo,
Quærentemq́; oculis fixi stellure Parentem,
Nec (quæ tam duro pietas rariſſima ſæclo)
Lugentem minus acceſſu creſcentis honoris.
Nos his affixi ſpectris, vitæq́; ligati
Extentis totos languemus noctibus annos,
Seruati in gemitus, vt ſint quos incolat angor,
Fataliſq́; dolor ſcelerato haud exulet orbe.
Scilicet hæc nobis roris modò parcior æther
Dixit, qui cohibens terris inhiantibus imbres
Triſtia ſeruauit fætas in tempora nubes.
Hic hic tam dubij iam certus ſyderis vſus,
Vt ſuffocaret deiecto ſumma veneno,
Stellaq́; ſubfuſco vix fumans lurida cœlo,
Effectu lucrata fidem. Hæc (miſerabile dictu)
STANLEIVM minitata ſuâ decerpere MONA.
O nunc extincto DOMINO nunc inſula Cyclops,
Vt paria effundas acceptæ flumina plagæ,

Et vulnus lachrymis æques, demergere ponto
Humorem ſugens vicino ex æquore ſalſum.
Non tibi tam ſpiſſi quibus interfuſa rigaris
In luctus ſat ſunt fluvij, niſi tota profundo
Abſorpta, æternus fias & difluus imber.
Nec tu præſidio Herois LANCASTRIA tanti
Orba, licet pia ſis, fidibus niſi mœſta repoſtis
Indueris toto lugubres ore columbas,
Sufficere in gemitus poteris, nec CESTRIA diues
Innati ſalis in lachrymas, niſi tota liqueſcas:
Nec tu jam Domino venienti BVRIA læta
Vel ſparges virides ſcirpos, teſteſuè triumphi
Affiges placidis gratantes poſtibus ornos,
Et graciles corylos, & quæ vicina miniſtrat
Sylua cadens facili tunc non inuita ſecuri:
At tibi ſternetur per vicos atra cupreſſus
Herbaq; crudeli ſi quæ ſit amicior Orco,
Abditaque obiectu funeſti ianua taxi
Occludet mixtis reboantes planctibus ædes.
Iam Verbeienſem non mendax fama ſuperbo
Tradidit Hiſpano, cui verior auferat illum,
Et vobis ſubitò ad pia concurrentibus arma
Incolumem referat, tutela vt penſet amorem:
Aſt vni tantùm non invida fata ſepulchro,
Quod cum rivali partitum eſt æthere corpus
Auguſtum, cuius ceſſit mens incola cœlo,
Hunc non viſuris rapuere immitia vobis.
Nec tutelares AQVILAE, quæ fulmina toto
Miſſa polo terrent, laceraſque tonitribus auras

Hic mos incolarum Buriæ.

Peruolitant, nullo violatis vulnere plumis
Iacta manu Mortis, cui nullus roborat artus
Discinctos nervus, potuere repellere tela:
Et quem non potuit, qui carpit cætera, liuor
Carpere, STANLEIO nunquam non mutus in vno
Carpsit summa dies, & ine luctabile fatum.
Quæque salutatos vel Reges auxit honore
Asportans TRAbeamque, Periscelidemq; nitentem,
Et COLLARE tui decus ordinis ANGLE GEORGI;
Quæque licet mirè durum permouit IBERVM,
Illa nihil mouit surdastras lingua sorores.
Nec viuo satis est homines epulisque, domoque
Excepisse, perit nec munificentia fatis
Ablati, lautas auidis iam vermibus escas
Apparat, & TANTO rodentes corpore pascit,
Et pastis aperit pretiosa cubilia rimas
Exesæ nimis indignâ putredine carnis.
O diuine HEROS, cuius sopire nec ipsa
Virtutem potuit Mors, vel sub marmore viuam
Vlla tuam poterit famam sopire vetustas?
Siquid Musa potest, Musâuè potentior ipsâ
Virtus, extento viues celeberrimus æuo,
Et plura emensus longæuo sæcula mundo,
Tùm cum syderibus cœlum, cum piscibus vnda,
Terra feris deerit, tenuisque volucribus aër,
Solus nec famæ deeris tu, nec tibi fama.
Iamque minor solo, quo nunquam Corpore magnus,
Crescenti angustas implebis nomine terras:
Et præteruectus quas imples nomine terras

Et patrio exceptus Cœlo, annumerabere Diuis,
ALLELVIA canens æternum AGNOq; DEOq;:
Et tibi, sed serus (nam siquid vota valebunt
Illum chara suis remorabitur ANGLIA votis)
FORTVNAE, FIDESq; Comes sociabitur Hæres,
Et tandem tecum in cœlestia sceptra repostus
EXPECTATA dabit CONSPECTV GAVDIA læto.
Non tua quæ multis pietas sic profuit, vnum
Fallet herum, nec vana fuit iactantria, quâ te
ESSE DEI moriens SCIERAS: tibi Spiritus illas
Tam plenas fidei voces dictabat, & ipsi
Inseruit vix extricatum corpore cœlo.
Hoc tibi tam Niueus (nec enim candore fefellit
Vestis læta ferens summi Legatus Olympi)
Narrârat, cum tu nil præter sydera spirans,
Tardantemq; iens mortem, sitiensq; perennes
Cristalli latices, Agni de sede fluentes
Annueres domino, ME ME SVPREME IEHOVA
IAM FIAT QVOD DECREVIT DIVINA VOLVNTAS.
His vix perculeras prodromis quasi vocibus auras,
Ipse secuturus quò tam pia verba præibant,
Cum cœli Rector pandam ascendentibus aurem
Applicuit precibus, migraturumq; vocauit,
Atq; vno secum iussit considere regno:
Quo tu fœlici frueris iam cœlicus æuo,
Dum tibi nos tenues meritos cumulamus honores,
Præq; alijs vnus patriæ virtutis Imago
FILius exemplar fidei, quam nulla fefellit
Vnquam, nec fallat, STANLEIIS edita proles.

Ille, ſuæ qui vere nouo ſurgentis honoris
Antiquæ ſpecimen fidei iam præbuit, Anglis
Spem fecit magnam, quos ſit veniente daturus
Autumno fructus, nullius quando doloris
Vret hyems animum, nec charo debita patri
Perſoluenda, recenſque in tanto funere luctus
Eripient operam patriæ, quin totus Eliſæ
Dilectæ ſuperis vacet, illiuſque Britannis,
Et liber gemitu priuato publica verſet.

APOSTROPHE AD ILLVSTRISSIMVM *Comitem Ferdinandum.*

Ergo clare Heros, & verè GNESIA proles
FERDINANDE, TVI IOVIS ARMIGER, altra Brigantum
Spes, nimio grauidos luctu tandem erige vultus,
Offuſamque oculis lachrymarum diſcute nubem:
Vt tanti aſpectu grato recreere Parentis
Non tibi plebem abdens terra aſpicienda, tuenda
Diuorum domus, & ſtellis cœlatus Olympus.
Hic agit hic Genitor Cœlo maturus & aſtris:
Hic & Natus ages Cœlo maturus & aſtris.

Honoris tui deuinctiſſimus Alumnus,

HENRICVS PRICEVS.